



Pretium Petronianum tertium

(24. Januar 2015)

2. Platz

Marie-Luise Reinhard

Helvia filio suo salutem

Saepe iam, mi fili bone, impetum cepi respondendi, saepe continui. Nam primum videbar obiecta omnibus telis vehementibus verborum quae coacervata ante me posuisses ut profecto mihi aliquanto temporis opus esset. Ita est: Non dolorem meum circumscripsisti, sed vincebas. Nunc, fili care, vicistine? Nescio, an vere viceris. Antequam tibi responsum do, te certiolem faciam me et tuas litteras ad me – ceterum super cenam – delatas esse gaudere et, ut vides, diligenter legisse. Namque ista condicio fortunave vere adversissima est, ut reddita consolatio miraculo clementis fati gratia aequetur. Quare gaudio perfusa laetitiam exultantem compressi quia, ut scis, exsul civitati in deliciis haud est. Praeterea, ut ipse dixisti, me invita longe ab locis notis abes qui vivus funeratus sis. Nemo magis idoneus est quam tu caput deplorandum ex ipso rogo adlevans procul ad matrem carissimam optimamque cohortandam.

Gratias tibi ago pro re ipsa.

Deinde – cura tamen me impellebat – mihi opus erat, ut Marciam cogitans ex illa quaerere quomodo tua scripta usui fuissent adirem. Iterum continui quia fortunae nostrae differebant: Metilius a morte raptus est, meus Lucius ab exsilio. Nihilominus vel potius quamobrem nostra fortuna non tolerabilior est, quoniam vivis.

Mi filiule, quorsum haec quae recte scripseris ac intellexeris? Semel – quaeso, ut hoc in bonam partem accipias – mihi redarguendum est. Ad ordinem revertamur. Nempe meum dolorem vicisti? Videamus primum quid sit victoria: Quod sciam, acerrima pugna pugnata hostes infirmiores domiti sunt. Denique despiciuntur atque servi fiunt. Quo magis victi ac subacti, eo magis usui sunt. Nisi me omnia fallunt, ergo iste dolor non solum aerumna, sed verum victus victori auxilium est. Hoc loco illa sententia mihi in mentem venit: „Quod ad me quidem pertinet, intellego me non opes sed occupationes perdidisse.[...] In universum semel vincitur.“ Uno verbo recte dixisti!

Nunc, mi fili care, te istum dolorem victurum esse affirmavisti, sed iste tuus aut meus hostisne fuit? Si vis istum mihi usui esse, iste mihi, non tibi, vincendus

est. Quippe ego isto utar. Nihilominus te me adiuvisse profiteor- sine te vincere non potuissem.

Tua causa. Maiores gratias tibi ago.

Sed haec hactenus – veniamus ad maiora: Sapiens es. Quippe! Sapiens es quoniam dicta discenda tradidisti. Marciam matremque tuam contrarium affirmans stupefecisti – etenim nemo postulare, ut te fortem consolantem praeberes. Philosophum quidem liberalem magnanimum ingeniosum per iniuriam expulsum esse omnibus querendum est. At bona mens te confirmabat ac confirmat, ut non dubitem, quin omnes discendi cupidos ad philosophiae munera instructurus sis. Me consolari potuisti.

Quid verbis opus est? Ergo hoc tibi persuadeas velim me quoque consilio quam optime uti conituras esse, quamvis te non sapientem putes. Docebas doces docebis. Quotus quisque est, qui fortunam facile ferat, ut non interdum magna inopia consilii viri sapientis afficiatur? Iterum iam sic habeto me laboraturam esse, ut tua opera quam plurimos permoveant et ita vitam miserorum mirabiliter emendent.

Maximas gratias tibi agemus.